

fer Phil. Melanchth. lib. 1. & Casp. Paucer, l. 4. Chron. Carion.) & propriè dicti die Teudschen; Hi verò, superiores icil. Germani à Thogarma, qui & speciali nomine dicti fuissent Germani seu Germanier/absorptâ pr imâ Syllabâ quasi Garmani, & primâ vocali in secundam mutatâ, ceu lingua hæc mutare solet. Inde quoque suspicantur aliqui, hos populos primitùs à se invicem distinctos fuisse, quem in modum fortassis hodie Germani, juxta aliam regionis divisionem, inferiores superioresque (Nieder-und-Hoch-Teutsche) appellantur. Quia verò Romani Scriptores hoc gentium discrimen minùs observaverint, factum esset, ut postea sine discrimine Germani tam inferiores, quàm superiores, h.e. Teutsche und Germanier/pro iisdem populis fuerint habiti. Alii alias derivationes conquirunt. Vid. Bernegg. quest. Miscell. ad Tacit. de Mor. Germ. qu. VII.

§. 4. Tacitus de Morib. Germ. cap. 2. Tuistonem Deum facit terrâ editum, & filium ejus Mannum originem gentis conditoresque. De Manno scribunt, quod omnes Germaniæ gentes inter tres suos filios distribuerit, & quosdam illorum appellaverit Ingevones seu Vigevones; quosdam Hermiones, & quosdam denique Isthevones, quæ nomina apud Tacitum & Plinium, (qui Vindelicos s. Vandalos & Pincinos addit,) occurrunt. Sub nomine Hermionum videlicet comprehenduntur Svevi & Hermunduri, aliique populi, quos tamen, cum ad præsens institutum non pertineant, recensere necessum non est. Illos autem Svevos & Hermunduros Plinius H. N. lib. IV. c. 14. expressis verbis ad Hermiones refert, quod ita capiendum videtur, ut Hermunduri dicantur per Svevos ab Hermionibus descendere. Siquidem non tantum Paulus Orosius lib. 1. quinquaginta quatuor Svevorum gentes esse scribit, qui majorem Germaniæ partem tenuere, ut inde aliqui Svevum nominarint, cum Germanum dicere vellent; (Confer Hein. Glarean. ad Jul. Cæs. lib. IV. Comm.) Sed etiam Corn. Tacitus l. c non unam Svevorum gentem esse memorat, majorem Germaniæ partem ab iis inhabitari propriis nationibus ac nominibus discretis asserens. Rbellican. in Annot. ad Jul. Cæs. quas nationes discretas post transitum in Rhetiam recenset Carionis Chronicon, quod dum ex mente Taciti Svevos in aquilonares, australes, orientales & littorales distinguit, Hermunduros ad australes expressè refert. lib. IV. p. m. 397. Hæc de prima Hermundurorum origine, sed multa in ejusdem scrutinio probabili conjectura tantum nituntur, quæ certam nobis fidem facere, ut in ejusmodi rebus fieri solet, nequeunt.